

» causam injustam et bellum illicitum. Nos vero e contra justitiam
» foveremus et cum totam Italiam contra se accensam provocas-
» sent, nisi a tanto facinore desisterent, et occupata restituerent,
» prout eis persuadebamus, essent christianis omnibus derisui pa-
» riter et odio: omnes enim eos alienarum rerum occupatores, non
» suarum defensores vere dicerent. Suasimus praeterea eis, ut me-
» mores essent Luciferum perfectionem, sublimitatem, dignitatem
» ac excellentiam super omnes angelos ante lapsum habuisse, et
» cum superbia elatus voluisse exaltari, humiliatum et depresso
» fuisse usque in profundum abyssi: et ut mente haberent verbum
» Salvatoris nostri, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*; quod-
» que in die Coenae Domini omnes, qui civitatem nostram ferra-
» riensem praedictam occupare niterentur, per nos ac praedeces-
» sores nostros romanos pontifices excommunicati et anathemati-
» zati fuerant. Suasimus etiam eis ne jactabunde dicerent victoriam
» in manibus habere. Nam hanc dabat adimebatque solus Deus
» immortalis, cuius causa agebatur. Ex quo facile fieri posse vi-
» debatur, ut et ipsi qui viciisse asserebant, brevi tempore amisisse
» viderentur, et quantum progressi ultra forent, tanto regredi co-
» gerentur. Et denique hortati fuimus eos et requisivimus ac mo-
» nuimus in Domino, ut cogitationes istas inanes deponerent, cu-
» piditates effrenes compescerent, arma revocarent, Ferrarium
» dimitterent, castella per eos capta restituerent, quod suum est
» possidendum cuique tranquille relinquenter, et pacem Italiae
» amplecterenetur, sicque rei suae totiusque Italiae quieti consule-
» rent; alioquin non dissimularemus amplius spiritualibus et tem-
» poralibus armis procedere contra eos, uti nobis expediens vide-
» retur et justitia suaderet, quia ista eorum dominandi libido inhu-
» mana nimium et a christiana religione aliena ferenda non erat;
» Nosque pacem publicam in Italia vigere omnino volebamus, ut
» simul bellorum injurias caveremus, simul quieti restitueremus
» omnes et reipublicae christianaee unitis viribus contra immanis-
» simos hostes consulceremus. Veneti vero praefati in eorum